

puero, datus est ensis in ejus manibus, continuando orationes jam coeptas. Ensis ille appellatur ensis Sancti Stephani, primarii hungarici regis. Præstito juramento per serenissimum regem, patrem pueri, Vladislau, nomine filii, quod non est, pro ætate, idoneus ut coronaretur, ex observatione constitutionum regni ipsius, in coronatione hujusmodi ceremoniæ extiterunt. Est enim regno ipso corona quædam, habita ab illis omnibus in summa veneratione. Hanc præfatus reverendissimus strigoniensis in manu tenebat, quæcum si quis forte rex Hungariæ non foret coronatus, non videtur esse verus rex Hungariæ. Palatinus comes illustrissimus alta voce præmisit hæc verba ad barones et nobiles: Essent ne contenti quod filius regius pro rege coronaretur hungarico? Responderunt omnes clamantes: Volumus quod sit coronatus. Reverendissimus strigoniensis, stans in actu ponendi coronam, iterum interrogavit, si volebant filium ipsum pro rege coronari. Indifferenter omnes acclamarunt, cum signis demonstrativis jubilationis et gaudii, brachium dexterum elevantes, juxta morem patrium, in hæc verba lingua sua peculiari materna vociferando: Coronetur rex Hungariæ! Tribus vicibus præmissa interrogatione hujusmodi, totidem vicibus responsum datum, modo prædicto. Ad tertium assensum, posita fuit corona in capite a præfato reverendissimo cardinali, de consensu omnium dignorum nobilium baronumque regni nec non prælatorum, etiam verba hæc proferens: Corono te Hungariæ regem; deditque in manu regale sceptrum, legendo continue orationes quasdam. Talis coronatio fuit horis duabus ante meridiem. Pro lætitia ab oculis regis manabant læchrymæ abundanter. Peracta tali coronatione, a reverendissimo ipso cardinale solemnissima missa incepta fuit, ad nomen serenissimi Ludovici reguli. Qua finita, a majestate regia creati fuere

265 * multi equites, ad numerum sexaginta et amplius; adeo, quotquot flectebant genua ante ipsam regiam majestatem, donabat illos militiæ insignibus, uno ictu ensis in capite, more suo. Post hæc, ipse serenissimus Ludovicus regulus, ætate . . . , indutus fuit per reverendissimum cardinalem præfatum veste illa, quam dicunt fuisse Sancti Stephani prænominati. His peractis, profecti sunt ad fanum intitulatum Sancto Petro, itinere pedestri continuato, calcantes pannos rubeos, stratos super stratis, cum vexillis regni septem, delatis a primariis baronibus regni, super quibus erat depicta imago Annuntiationis, cum arma regia, jactis pecuniis per stratas. In templo ipso positus fuit regulus præfatus, ad seden-

dum in sede illa in qua sedere solent reges qui coronantur. Deferebant coronam supra caput reguli coronati illustrissimi palatinus et stipuliensis, cum esset magna nimis forma. Functis hujuscemodi, omnes equos ascenderunt, posito serenissimo regulo in lectica quadam deaurata, tracta ab equis sex leardis, quæ capax tantum erat de personis tribus. Erant equi ornati velluto purpureo. Extra civitatem, ad templum sancto Martino dicatum, itum est; quod templum ab urbe distat passus 240 circiter. In quo regulus ipse in sede sedit, prout fecit in Sancto Petro, ut supra. Subinde, in quodam monticulo, qui est in medio itineris, per illustrem comitem palatinum, dum reverteretur, factum fuit signum cum ense Sancti Stefani per aerem, vibrando illum circumcirca, quod significat, quando reges ætatem habentes coronantur, jurant ibi se defensuros regnum a quocumque offendere volente. Post hanc ultimam ceremoniam ad regium palatium perventum est, ubi majestas regia remanserat, cum qua et reverendissimus dominus cardinalis strigoniensis, cum omnibus aliis dominis et oratoribus, congratulatus est de hujusmodi perfecta coronatione, in precando conservationem augmentum et prosperitatem, brevi sermone. Omnibus majestas regia habuit gratias. Inde discessi, ad prandium paratum profecti, ibi mansere per horas circa quatuor. Postea ad præparatum spectaculum hastiludii ivērunt; in quo octo concertantes, per duas horas continue concusserunt egregie et perpulchre. Et palma, sine præmio, data fuit cuidam marchioni, nepoti regio, et solemnitas cum die finita est.

*Publicatione di le trieve tra il re di romani et 266
la Signoria di Venetia, fate in campo, a dì
X zugno 1508.*

In nomine sanctæ et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et gloriöse Virginis Mariæ, beatorumque apostolorum Petri et Pauli, sancti Andreæ et sancti Marci Evangelistæ, notum sit omnibus, quod serenissimus et invictissimus dominus Maximilianus, imperator romanorum electus, et illustrissimus dominus Leonardus Lauredanus, inelytus dux, et excellentissimus Dominium venetum, medio et interventu reverendissimi domini Georgii, episcopi tridentini, et magnificorum dominorum Nicolai de Firmiano, Cypriani de Serertheon, cancellarii tirolensis, et Henrici de Knoringen, commendatoris ordinis militiæ sanctæ Mariæ Virginis, ordinis theutonicorum, et suprascriptorum quatuor